

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 9398

**Auteur(s) :** Guillaume de Passavant, Le Mans (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1180-1187]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume évêque du Mans authentifie et publie l'acte par lequel Guillaume de Landivy cède à Savigny 12 acres de terre au Bois-Geslin pour 10 livres du Mans et un palefroi.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Paris, Arch. Nat., L 971, n° 608.

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° LXIX)

Texte d'après A

Willelmus Dei gracia Cenomanensis episcopus fidelibus universis salutem. Quoniam donationes religiosis domibus legitime factas decens est ratas conservari notum fieri curavimus Willelmum de Landevi monachis Savigneii in perpetuam elemosinam liberam penitus et quietam dedisse et concessisse in bosco Geslini de proprio dominio suo XII acras terre sicut per metas distinguitur a ductu aque de Landevi usque ad ductum aque de perdrieria ubi cadit in Camba recto limite juxta terram monachorum que supereminet stagno abbatie. Prefatus quoque Willelmus prefatam elemosinam in manu nostra ponens et Radulfus frater ejus fide interposita concesserunt se hanc elemosinam fideliter observaturos. Hanc eandem elemosinam concesserunt Matildis uxor predicti Willelmi et Robertus de Landevi sub cujus tutela tunc temporis erat tota terra Hamelini de Landevi nepotis sui qui tunc erat parvulus et heres illius terre. Ex mandato etiam ejusdem Willelmi, Galterius Sine Terra, Petrus Anglicus, Robertus Avenel, Richardus de Poeio, Alanus de Savigneio fide prestita firmaverunt se elemosinam illam fideliter observaturos et quod in primo anno quo heres de Landevi ad militiam promovebitur pro posse suo impetrabunt, ab eodem herede elemosinam illam monachis concedi in perpetuum. De caritate autem monachorum de Savigneio propter hoc predictus Willelmus recepit X libras cenomanensium et palefridum uxor autem ejus vaccam unam Radulfus vero frater ejus V solidos andegavensium. Hanc elemosinam predictus Willelmus prius dedit capitulo Savigneii monachis ejusdem monasterii videntibus istis Stephano de Poeio, Rualendo Canuto, Philipo Taboer, Gaufrido filio Luce, Bernardo Beitlait nos autem donationem illam ratam habentes eam litteris annotari et sigillo nostro fecimus communiri. Testibus his Raginaudo precantore, magistro Bernardo capellano, magistro Hernaudo, Rogero de Stutevilla et Hugone monachis.